



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniae, 1658

§. 16. Vt ergo dixit Iesus, Ego sum. v. 6.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45556

profundum de venerunt, quam ille sit impudens & perditus, ita ut omnia verecundiam exuerit. sane si unquam impudentis hominis exemplum extitit, illud certe fuit.

O Filij hominum ratione utentium nolite malis moribus vos dare, nolite discere peccatum, videte in hoc impudente speculo, quousque venire possit homo, si sibi non caveat ab initio peccati, uti ludas, qui sibi non cavuit ab initio, à parvis furtis, & pervenit ad magnas prodiciones & tantam impudentiam.

§. 16. *Vt ergo dixit Iesus, Ego sum. v. 6.*

Videamus quid sit hoc verbum *Ego sum*. Cum Moyses mittebatur à Deo ad liberandum populum Israëliticum à servitute Ægypti & interrogare nomen mittentis se, responsum accepit, Dei mittentis nomen esse: *Ego sum qui sum; vel qui est*. quod nomen si ruditer expendatur videretur esse ridiculum, quia nobis apparet quod etiam alii sint qui sunt. Sed si hoc ipsum exacte perpendatur, revera nomen est, quod soli Deo convenire potest per essentiam, aliis per aliqualem tenuemque participationem. Deus enim solus est de quo semper verum est *Ego sum*. de aliis creaturis non semper est verum: *Ego sum*. Sed verum est, fuit tempus cum non erat. cum ergo Dominus noster Iesus dicit, *Ego sum*, mirificum verbum eructavit; nempe eundem se esse, qui olim Moyli locutus sit, *Ego sum*. Hoc nomen est illud quod Iudæi sub quatuor literarum notis pictum ineffabile censebant esse, nempe qualibet litera verbum notante integrum ut esset perinde ac si diceretur *DEUS EST, FUIT, ET ERIT* uti Buxtorfius in Lexico suo, licet acatholicus, contra suos fratres faretur, qui cum suo inscitissimo Iehoua solent Bacchanalia celebrare quasi magnam rem fecissent legendo, quod legi non potest.

Gratias ago tibi Domine Iesu quod confessus es esse te illum, quies, & qui fuisti semper, & qui semper eris. Hæc confessio est fidei nostræ prima propositio & basis. Da obsecro gratiam ut hoc nomen tuum semper contra Arianos confitear & bonam eius vim in me experiar.

§. 17. *Abierunt retrorsum & ceciderunt in terram. v. 6.*

Etiam infaustam vim habet idem nomen Dei & verbum *Ego sum*. quia Iudas & socii eius illud audientes cadunt, terrentur, deficient. Agnosco evenire huic nomini, quod evenit etiam solis radio, ille lutum indurat, picem liquat, arenam exurit, germen fovet. itaque verificatur etiam hic proverbium, *Vnumquodque iuxta quod capax est recipit actionem agentis.*